·CXVI·

styx que odium interpretatur. et ipse herebus. idest inferni profunditas. cerberus et parce. eumenides et manes et furie scilla caribdis. cymera et syrena et omnis infernalis natio sive maties in hac sacra conceptione sui cepere meditari ruinam. hodie rubus hiemi ad omnem mundum liberandum plantatur.

Rubus extra et in terra quia hodie maria virgo perpetua in matris utero temporaliter concipitur.

Beatus rubus iste est heremi inter omnia ligna silvarum. qui ardet et non comburitur. quia beata est virgo gloriosa maria inter omnes mulieres que dominum genuit et perpetua virgo permansit.

Stupet moyses in visione rubi. quia videtur ardere et non comburi tur. Stupeat iudeus. iocundetur christianus. miretur omnis mundus quia virgo parit. velut rubus ardet sed virgo pariens non corrumpitur. ceu rubus non comburitur. Rubus dat ardorem et non comburitur. virgo gignit prolem et ipsa non corrumpitur.

Hic rubus flammivomus. idest maria virgo hodie concipitur. hic rubus optimus et uuiferax in fructibus. idest mater salvatoris hodie in suo alvo matris germinatur. Beata hec conceptio que toti mundo est invecta unica redemptio.

Hodie in radice yesse plantata. hec fructifera virgo scilicet gloriosa et regalis maria pullulans in matre concipitur. hodie virgo floris lilii convallium germen in regali cypro incor